Augustus II. Dei Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czerniechoviæq; Nec non Hæreditarius Dux Saxoniæ et Princeps Elector. Vobis Nobilibus, Spectabili ac Honoratis, Advocato et Scabinis Civitatis Nræ Cracovien, Uti Causæ infrascriptæ gravaminosis Judicibus; tum Honesto Stanislao Pietrzyk, tanqm eorundem Officij Advocatalis et Judicij Scabinalis Cracovien, Parti adhærenti; de Personis, Bonis Vestris generaliter omnibus, Causâ infrascriptâ Judicatisq Vestris, mandamus: Ut coram Nobis, Judicijsq Nostris Assessorialibus Varsaviæ, aut Ubi tunc cum Curiâ Nostrâ feliciter constituti fuerimus, à positione Præsentis Citationis Nræ Prosecutorialis, in Quatuor Septimanis, Seu tum dum et quando Causa præsens ex Registro Vocandarum Causarum publico ad iudicandum inciderit, acclamataq fuerit, personaliter, Termino peremptorieq comparreatis; Ad Instantiam Famati Joannis Gizowski, Civis Tabernatoris Cracovien, Originali Citati, et moderni Actoris. Qui Actor modernus citat Vos, Seu potius adcitat; ad prosequendam, Jureq continuandam Appellationem Suam à Decreto Judicij Scabinalis Cracovien approbatorio, in Causâ et Actione Sibi Actori moderno, ratione Lardorum assi apud Actorem depositorum, aliorumq Punctorum in Propositione Originali expressorum, per te Partem adhærentem, primo coram Officio Advocatali instituta, tandem per Viam appellationis Ordinariæ, ad Judicium Scabinale devoluta, gravaminose latam, interpositam et non admissam. Quâ in Causâ Officium illud Advocatale Cracovien non attento eo: Quod Actor modernus Larda, de quibus res agit, apud se in Vim pignoris pro summâ Tibi Parti Adhærenti mutuatâ extare inferret, nec eadem nisi præstitâ Satisfactione, Vel dato Sibi alio pignore, iuxta nexum Complanationis inter se Actorem et Te Partem adhærentem ratione præmissorum initæ, extradere posse allegaret, et quod necdum ex prædictis Lardis totalem Satisfactionem habere possit, pretium eorundem Inquisitione Virorum, rerum gnarorum deduceret; alia Verò Puncta, in Propositione expressa dicta Complanatione, iam esse sopita, quinimò Sibi Censum ex Mansionibus à Te Parte adhærente provenire adjudicationem, Il summæ debitæ, Unà cum Censu Conductitio Solutionem, et Fenestrarum reparationem expeteret; aliasq Rationes iustas et Juridicas eo nomine inferret, easdem oés rejecit, et non nisi medietatem Lardorum, in Compensationem Debiti Actori moderno acceptare injunxerat: Alteram Verò Tibi Parti adhærenti, Quod adhuc Juramentum super Veram Lardorum existentiam per Actorem modernum præstando extradendam, ac Solutionem Butyri decreverat: Census Verò et Reparatione Actorem modernum abjudicaverat; Appellationiq ab eiusmodi Decreto, per Utramq Partem integram ad Judicium Scabinale Cracoviense detulerat: Judicium itaq Scabinale Cracoviense cum Idem actor modernus rationes et defensas in Termino Appellationis coram eodem Judicio reiteraret, aliasq pro retractandâ Sententiâ Officij Advocatalis introduceret, retractationem Sententiæ eiusdem postularet, easdem non attendit, et Sententiam Officij dicti Advocatialis Cracovien approbavit: Nec Appellationem ab eiusmodi Decreto admisit, quinimò ad importunam Tui Partis Adhærentis Instantiam denegavit, et recusavit. De quâ non admissâ, Verùm prosequendâ Actor modernus in instanti protestatus est. Processu Causæ eiusdem, et Decretis præallegatis de præmissis latis lucidius. Citamini igitur ad Videndum et audiendum Appellationem præfatam pro illo tempore admissibilem fuisse, et ad præsens prosequibilem esse adinveniri, cassatisq ijsdem Decretis Vestris Unà cum toto antecedenti et subsequenti (: si quis intereà intercesserit) Processu, Causam in integrum restitui, in eaq id, quod Juris et æquitatis ratio suaserit, Statui, decerni et Sententiari. Pro quo Termino Uti peremptorio Sitis pariturj, clenodij attentaturi, et à quâvis Executione eiusmodi Decretorum Vestrorum ad Decisionem Usq Nostram supersessuri. Datum in Cancellariâ Regni, Sabbathô post Festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ proximô. Annô Domini, Millesimo Septingentesimo Decimo septimo.

R 197/IV

BIBLIOTEKA ŚLĄSKA

Suprascriptæ Prosecutoriales post Sententiam definitivam
expor tatæ, et propter sistendam executionem rei judicatæ
interpositæ, uti et tanquam Juri et Justitiæ repugnan=
tes cassantur et annihilantur. Executioq[ue] Decreto
Advocatiali Cracoviensi indilate facienda deman=
datur per presentes Cassatorias. Dabantur in Cancellaria
Regni Majori Die X. Mensis Septembris Anni MDCCXVII.

Szembek
S.R. Cancellarius